

150
4934
c. 2.
In: 4248
150

D. D.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
HAEMOPTYSI,

QUAM,
CONSENT. EXPERIENT. FACULT. MEDICA
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI
PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

D: NO DOCT. CAROLO

VON LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M: TIS ARCHIATRO
MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. UPSAL. HOLMENS. PARIS. PETROPOL.
BEROL. IMP. NAT. CUR. LOND. ANGL. MONSP. TOLOS.
FORENT. EDINB. BERN, NIDROS. CELLENS. SOCIO.

PRO GRADU DOCTORIS,

PUBLICO SUBMITTIT EXAMINI

JOHAN MARTIN GRÅBERG,

GOTHOBURGENSIS

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE XIII MAJI
ANNI MDCCLXVII.

HORIS, ANTE ET POST MERIDIEM, SOLITIS

UPSALIAE.

Impressum apud JOH. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

61

REGII COLLE
PRÆ
NOBILISSIME at

DN. DOCT. ABRA

S.Æ R:Æ M:TIS ARCHIATER, Reg. Acad. S.

Nec

ASSES

VIRI Nobilissimi

D. Doct. WILH. KAMMECKER,

D. Doct. JOH. BERGSTRAHL,

D. Doct. JOHAN LINDHULT,

Poliater Holmienfis

D. Doct. ROLAND MARTIN,

Anatom. & Chirurg. Professor R. & O. Acad. Sc. Holm.
Membr.

D. Doct. PET.

Hist. Nat. & Pharmac. Prof. R.

PATRONI ET PRO

Dissertationem hanc Medicam, Vobis, Viri cele
tesseram, cum ardentissimis, pro perenni Ve
tecrat, suamque in posterum fortunam, ea, qua

Nobilissimorum &

NOMINUM

cultor

JOH. MART.

GII MEDICI

SES

que CELEBERRIME

HAME BÆCK,

Upsal. Stockh. atque Nat. Cur. MEMBRUM,
non

SORES

& Experientissimi

D. Doct. ZACH. STRANDBERG,

Orphanotr. Reg. Medice Ord. R. Acad. Sc. Membr.

D. Doct. JOH. AND. DARELI,

Nosocom. Holm. Medice Ord.

D. Doct. JONA BÖKMAN,

S:æ R:æ M:itis Archiater, Poliater Holmiens.

D. Doct. DAVID SCHULTZ,

Art. Obstetr. Professor R. & Ord. Acad. Sc. Holm.
Membr.

JONA BERGI,

& O. Acad. Sc. Membrum,

MOTORES OPTIMI


bratissimi ceu qualemcunque animi venerabundi
stra Vestrorumque omnium felicitate, votis, con-
par est, animi submissione commendat

Celeberrimorum

VESTRORUM

devotissimus

GRÅBERG.



*Cernis ut e molli sanguis pulmone remissus
Ad stygias certo limite ducat aquas.* OVID.

§. I.

Inter morbos, qui viscera ad vitam maxime necessaria adgrediuntur, qui & ideo discrimen vitæ haud leve adferunt, non immerito numeratur HÆMORTYSIS, non adeo quidem infrequens morbus, frequentiore tamen eum non esse, merito mecum mirabitur, qui perpendit *Pulmones* ex cellulosa laxiori, & vasis etiam majoribus compositos esse, perque ea sanguinem universi corporis transire, inque circulo suo variis ex causis turbari. Sapientiam vero Dei providam venerari debemus, qui tenero huic visceri proportionatam dedit firmitatem, ut non adeo facile, ac primo intuitu videretur, vasa ejus rumpantur. Hanc ægritudinem, multis funestam, breviter delineare, Speciminis Inauguralis loco, animo constitui; mitiorem vero Tuam B. L. mihi expeto censuram.

§. II.

Est HÆMORTYSIS Sanguinis, e pulmonibus per Tracheam, in os, cum Tussi, copiosa excretio. Hæc, si interjecto aliquo temporis spatio redit, cum tabe pulmo-

monum, sive hæreditaria, sive adscititia, *Habitualis* dicitur; si vero a causa quadam accessoria provenit, *Accidental* vocatur. Antequam vero e pulmonibus excernitur sanguis, sentitur, prægressis in quibusdam extremorum frigore & algore corporis, præsertim crurum eorundemque lassitudine, dolor gravativus & undulatorius, vel palpitationis mirus motus, nunc in dextro, nunc in sinistro Hypochondrio, pressionis inter scapulas sensus vel ardoris, tandem cum tussi, titillatione & pruritu in faucibus, quin per totam Tracheam, saporeque subsalso in ore, calidus erumpit sanguis, majori minorive copia. Excreto hac ratione sanguine respiratio liberior fit, donec vel citius vel serius eadem redeunt symptomata, & cum iis sputum sanguinis.

§. III.

Ab aliis excretionibus sanguineis per os, probe distingui debet Hæmoptysis: haud parum quidem huc conferunt signa, eandem præfagientia, jam recensita; attamen fateri debemus, ea non semper sufficere, nisi ad alia attendamus. Itaque, si e posteriori narium parte prodit sanguis, præter signa Hæmorrhagiam narium antecedentia, facile evacuationis hæc species detegitur, si prono capite decumbere ægrum jubemus: Si e faucibus provenit sanguis parva copia, cumque titillatione potius, quam tussi, excernitur; interdum etiam oculus ipse fontem videt, quale exemplum habemus in *Illust. v. Svieten Comment. Barbav. T. IV. p. 4*. Eadem ratione, ex inspectione scilicet sanguinis detegitur, qui e gingivis fluit: Si e larynge, vel Trachea excernitur, haud facile quidem distinguitur ab HÆMOPTYSI, ob tussim conjunctam, a parca vero copia sanguinis prodeuntis, titillatione, quin molesta sensatione his in locis peritus facile percipit, sanguinem non e pulmonibus

bus provenire; Si e vasis ventriculi excernitur & per os ejicitur, *Vomitum* vocant *cruentum*, a dolore ventriculi prægresso, & ex phœnomenis vomitus, ab HÆMOPTYSI discernitur.

§. IV.

Qui in HÆMOPTYSI prædit sanguis, provenit, ut quivis facile perspicit, e vasis pulmonem adeuntibus, utrum vero e *venis*, an ab *arteriis*, eo minus a colore dijudicare possumus, cum nulla inter sanguinem arteriosum & venosum notabilis observetur differentia. Triplici autem modo excernitur: aut per *rupturam*, *ρῆξις* vocant, quæ plerumque obtinet; aut per oscula vasorum *dilatatorum*, *αυασόμων* appellant, quæ locum habet, ut videtur, dum excretionem sanguineam retentam HÆMOPTYSIN efficiunt, sine subsequente Phthisi pulmonali: aut denique per *erosionem* seu *διάβρωσιν*, quæ rarissime, si unquam, occurrit, nisi ubi ulcus adest, pulmonem depascens vel Vomica. Nisi ab hac causa sanguis e pulmonibus prodit, rutilans is est & spumofus; si vero parca copia excernitur, paululumque in pulmonibus moratur, coagulatus videtur. Inter rarissimos casus merito numeramus, sanguinem cum substantia pulmonum vel bronchiarum portione rejectum fuisse, cujus tamen exempla præstant apud *Tulpium lib. 2. Obs. Med. cap. 12. 13. 14.*

§. V.

Non una est causa prædisponens Hæmoptoës, sed varia, ut

I:a *Nativa* corporis *dispositio*, qualis est longum collum, angustum pectus & planum, scapulæ depressæ, cutis tenera, eademque in facie candida cum genis amœnis roseis. Dum ad apicem incrementi quoad longitudinem pervenit corpus, hoc est, circa annum de-

decimum quintum & sextum, hi maxime Phthisi & Hæmoptysi obnoxii sunt, nisi natura se ipsam excretionē sanguinis per nares levat; at si salutaris hæc evacuatio cessat, antequam corpus debitam firmitatem est adeptum, eo majori periculo exponuntur. Exemplum hujus rei videmus apud *Benedict. in theatro Tabidorum*: fuit scilicet juvenis infelici hæreditate & ad Tabem & ad Hæmoptysin dispositus, a quibus tamen immunis mansit, evacuato subinde per nares sanguine a decimo sexto, ad vicesimum quintum annum. Eodem vero ipso anno, admissa incaute frigore, proficua ea excretio cessavit, cum insequente Hæmoptysi & signis Tabis: Venæ sectio in casu ejusmodi usurpari solita parum profuit, at redeunte copiosa narium hæmorrhagia tanto ereptus est periculo. *v. Sviet. ex Bened. T. IV. p. 15.*

II:da *Debilitantia pulmones* huic morbo ansam supeditant, in primis saccharata, quæ pulmones relaxant fibras teneriores fragilioresque reddunt, unde & frequentior hodie Hæmoptysis, quam olim, a Theæ & saccharatorum quotidiano usu.

III:ta *Carnium* usus immodicus, acres humores reddit, ut in Cane se ipsum rodente, unde etiam hunc morbum sæpius incurrunt Angli, præ reliquis Europæis carnivori, & ab hoc morbo Phthisin.

IV:a *Vita inclusa sedentaria*, unde debilitantur pulmones tantum, quantum corroborantur a motu sub dio, equitatione, &c.

V:ta *Spiritus frumenti* largior frequentiorque usus in nostris terris Hæmoptyseos causa primaria existit, & quidem a polypis generatis intra vasa bronchialia, unde fit, ut, quemadmodum in Hæmorrhoidibus cæcis, sæpius recrudescat malum.

VI:ta *Aloëtica* sanguinem agitare, evacuationes varias ciere, etiam Hæmoptysin, frequens est Germanorum observatio.

Quod

Quod ad *causas* Hæmoptyseos *occasionales* adinet, sequentes sunt:

I:a Interceptæ *evacuationes sanguineæ* consuetæ, ut hæmorrhoidum, mensium, quin & evacuationum arte factarum intermissio. Hæmorrhoides quod attinet, bonis cum ægri rebus succedunt Hæmoptysi; at si Hæmoptysis eas excipit, maxime mala arte suppressas, pessimum est, quale exemplum prostat apud *v. Suieten T. 4. p. 46.* Quæ ab hæmorrhoidum parum distat excretio menstrua, feliciter interdum, si suppressa, compensatur Hæmoptysi, uti videmus ex *Hoffmanno T. 4. p. 46. Benedicto in Teatro Tabidorum*, aliisque; at huic succedaneæ excretioni eo minus fidendum, cum haud pauca prostant exempla sinistri eventus.

II:a *Spasmodicæ* viscerum *constrictiones*; & hæc est ratio Hæmoptoës in Hystericis, Hypochondriacis, quin & Arthriticis, præsertim si accedit nativa corporis dispositio.

III:a *Violentiores* pulmonum *nixus* sub clamore, cantu, saltatione, cursu, tussi, tiliarum inflatione, ponderumque elevatione, risu & sternutatione.

IV:a Vis quæcunque pulmonibus illata, ut *contusio*, *Felic. Plat. lib. 3.* vulnus pulmonum, *Heister. Chirurg. lib. 1. cap. 10.* huc referri haud incommode possunt illapsa in pulmones per asperam Arteriam, ut acciculæ, clavi, lapilli, vid. *Morton. Cap. 6.*

V:ta *Affectus* Animi, ut ira, terror.

VI:a *Vitia viscerum* ut pulmonum & viscerum imi ventris, quemadmodum Tubercula pulmonum & Schirri. *Schenck. Obs. pag. 240. Villis in op. posthum. sect. 1. cap. 8.* Vomica pulmonum *Phil. Transact. N:o 245.* obstructio hepatis & lienis, *Blancard. Anat. obs. 46.*

Levitatem denique nimiam *aëris*, qualis est in altissimis montibus, huc referunt quidam, ut recens etiam scri-

scriptor *Francisc. Home in Principiis Medicinæ pag. 232.* in hanc procul dubio opinionem induciti a *Josephi Costa Histor. Natural. t. 3. pag. 91.* & ex *Scheuchzero* hoc mor-
tis genere, ut perhibent, interemto. At eo lubentius hanc excludimus causam, quo certius constat ex rela-
tis *Academicorum e Gallia*, eos commode respirasse in montibus *Pinchinca & Coracon* regionis *Peruvianæ*, ubi *Mercurius* ad dimidium fere altitudinis descendit, ut adeo *Hæmoptysis*, quæ his in casibus contigerit, cum *Illustri Hallero* non levitati Aëris, sed laborioso adscen-
sui per loca adclivia potius sit adscribenda, Vide *Element. Physiolog. T. 3. pag. 197.*

§. VI.

Varias *Hæmoptyses* SPECIES Auctores enume-
rant, nobis vero placet sequentes hujus morbi consti-
tuere:

I:a *Hæm.* a *statura*: longo collo, cute florida, va-
sis parvis, ætate juvenili.

II:a *Hæm.* a *plethora*: in primis si vita lauta, &
cibi eupepti, boni, flatulenti offerantur, & vehemens
motus inopinato accedat.

III:a *Hæm.* a *suppressis evacuationibus sanguineis*: a ve-
næ sectione intermissa, ab hæmorrhoidibus, menstruis sup-
pressis; hæc incipit colica periodica ac menstrua e-
vadit.

IV:a *Hæm.* a *Calore & æstu*; motu, saltu, cursu, iti-
neribus in calidissimis diebus & regionibus, tracheam
siccantibus.

V:a *Hæm.* ab *affectibus*, ira in primis & metu.

VI:a *Hæm.* a *pressionibus*, a nixu vehementi, & ponde-
ribus, Risu, Tussi ferina, sternutatione, vociferatione,
cantu, cornu militari.

VII:a *Hæm.* a *lesione pectoris*, sive a contusione, si-
ve a calculo pulmonum fiat.

B

Hæm.

VIII: a Hæm. a *Spiritus vini* abusu, unde polypi, aut tubercula in pulmonibus.

IX: a Hæm. a *Saccharatis*.

X: a Hæm. a *Graviditate*.

XI: a Hæm. a *Phtisi*, scilicet a suppuratione in pulmonibus; his accedit suppuratio Hepatis aut Lienis, quorum pus ad pulmones defertur.

§. VII.

Ratione *Prognoseos* pauca ut proferam, generatim observamus, omnem Hæmoptysin, nisi ea per anastomosis fit, periculum non leve portendere, cum ut vulnus considerari debet, quod nisi consolidetur, ulcus fit sensim depascens pulmones, cum sputo puris, consumptione corporis & febris tabifica. Eam autem metuimus, si Hæmoptysi febris succedit, inflammationem denotans, & huic successuram suppurationem. Si sedata Hæmoptysi, Tussis insequitur sicca, cum febricula lenta mitique, rubore genarum & calore volarum, Vomitam timebimus. Optimum est cessante sputo respirationem esse liberam, febrem nullam, nullamque tussim. Si grandius est vulnus, vel adeo ubertim profluit sanguis, ut æger inde suffocetur vel repetitis vicibus, ut virium defectu brevi moriatur æger, quod tamen utrumque rarum est. Vel me non monente patet, Hæmoptysin quæ a prima & ultima causa dependet, longe esse reliquis periculosiorem, licet simul fatendum, quod sæpius plures concurrant causæ ad eandem producendam. Qui in pueritia frequentibus narium Hæmorrhagiis obnoxii, frequenter in adolescentia inter vicesimum & tricesimum annum Hæmoptysin incurrunt, unde *Hippocrat. IV. Aphorism. 25.* sanguinem superne efferi, qualiscunque sit malum.

§. VIII.

Malo adeo gravi, ut obviam eatur, eo tendere de-

debet CURA *medentis*, ut sputum sanguinis *sistatur*; inflammatio & febris præcaveantur; tussis, si violentior, mitigetur, & redivisus Hæmoptoës avertatur. Sistitur sputum sanguinis, si vim ejus a pulmonibus avertimus; protinus itaque e pedis *vena sanguis* mitti debet, & si pulsus adhuc plenus, calor extremorum major, quam in sano homine, vel saltem ejusdem gradus, si signa Hæmoptoën præflagientia gliscere incipiunt, eodem die vel postridie repetenda erit sanguinis missio: immo, si eadem obtinet, quæ jam dixi, tertio & quarto sanguinis aliqua portio detrahenda erit, usque dum pulsus non amplius sentitur plenus, calor extremorum minor, quam in sano homine, & signa hæmoptoën antecedentia non amplius apparent. *Avertendo* porro a pulmonibus sanguini haud parum conferunt lotiones in alvum immixtæ emollientes, dum per depleta intestina & relaxata liberior conciliatur sanguini circulus. Prima lotio sale stimulatâ, bihorio post incisam venam injici debet, dein vero sine stimulo bis de die applicari debent. Sunt qui loco *Enematum* alternis diebus potionem Mannatam præbent, *vide Tralles de Usu Opii sect. 2. p. 24.* Inflammatio & febris præcaveantur, in primis Venæ sectione modo nominata: sed simul *potiones diluentes*, quales sunt Cremores tenuiores avenæ, vel hordei, Decoctum hordei lacte remixtum, interpositis subinde nitrosis, omitti non debent. Si sanguinis sputum his non cederet, ad mitiora properandum est *Adstringentia*, ut succum Acaciæ, Sanguinem Draconis & Terram Catechu, folia Plantaginis, quæ mucilaginositas remisceri possunt, ut Consolida majore & radice Salep; si in ancipiti versaretur æger, ob ubertim profluentem liquorem vitalem ad *ligaturas artuum* & fortiora adstringentia progredi licet, ut *Alumen, Vitriolum, Oleum Vitrioli*, cum syrup. aliquo aut mixtura, quantum lingua fere ferre queat, *pulverem stipticum Helvetii, Balsamum adstringentem Pharmacop. paup. Edinb.* sed larga copia cremo-

ris avenacei vel hordeacei dilatum. Radix *Valeriana* a multis etiam laudatur, sed videndum ne ab his graviora suboriantur symptomata.

§. IX.

TUSSIS licet non semper adsit, interdum tamen adeo violenta, ut metus sit, ne succusso illo pulmonum recrudescat Hæmoptoë, mitigari itaque ea debet involventibus & mucilaginosi, ut Cremore spissiore *avenaceo* & *hordeaceo*; mucilage seminum *Cydoniorum*, *lini*; solutione *Gummi Arabici*, & *Tragacanthæ*, *Reglissa*, *pastæ de Althea*, *Syrup. de Althea*, *Oleo Amygd. d. Vitello Ovi* subacto, remixto. *Oleum lini*, suam etiam hic laudem meretur, dum tussim non tantum sedat, sed etiam spasmos.

Si noctes INSOMNES redderet Tussis, ad *opiata* progredi licet, ut somnus tranquillans concilietur, cui par vix est remedium, ad compescendas turbas in corpore humano. Tanti quidam *Opiata* fecerunt in hoc morbo, ut ea omnino necessaria judicaverint, quorum tamen opinioni minime suffragari possumus, nisi a spasmodicis stricturis dependeat vel foveatur Hæmoptysis. Idem sentiendum judicamus de seminibus *Hyoseyami* ab *Ettmullero* & *Boyleo* dudum, etiam a recentioribus quibusdam adeo commendatis. Superato periculo, *Cortex peruvianus* dari potest, pro corroborandis pulmonibus, quin toto corpore, præsertim si largiores venæ sectiones necessitas postulavit. Matutinis vero horis infusa *Herbarum vulnerariarum detergentium*, ut *Hedera terrestris*, *Bellidis arvensis*, *Cerefolii*, *Hysopii*, summitatum *Virgæ aureæ*, *Hyperici*, *Pulmonariæ maculatae*, a quibusdam summopere laudatæ &c. lacte remixta, in usum vocari possunt, vel etiam *serum lactis* dulce *Hoffmanni*, eo modo paratum, ut loco aquæ simplicis affusæ, infusum *Herbarum modo nominatarum* sumi possit. Inter hæc perpendendum, annon causa sit ejusmodi, ut tolli queat; itaque si EVACUATIONES sanguineæ SUPPRESSÆ

malum produxerint, eæ promovendæ ex artis lege, debita tamen cum cautela, ne dum in his occupati sumus, redeat Hæmoptysis. Si ARTHRITIS in causa, eadem ad suas sedes revocari debet, ut ei succurri queat. Si Phthifici quid metueremus, ad lacticinia, aquasque Selteranas lacte remixtas, aliaque præsidia, in Phthisi imminente commendari solita, progredi licet. Sunt qui hoc in casu laudant Oleum infusum Hyperici.

§. X.

Ut haud exiguum momentum curationis morborum generatim in debito vitæ & diætæ regimine ponitur, ita haud parum ad hoc malum superandum confert. Itaque omnia quæ æger bibit, calida non esse debent, sed potius frigidiuscula, vel saltem talia, qualia in cubiculo, in qua decumbit æger, quodque subtepidum saltem erit, fieri possunt. Immo sunt clari in arte viri, qui frigidam ipsam commendant aquam, ceu summe proficuum remedium ad sistendam Hæmoptysin, ut *Martinus Gbisi* Cremonæ, & *Ignatius Gerrasius a Monte Fulisco* Romæ, qui etiam in malo graviori spongiis aqua gelidissima nudo pectore applicari curavit. vide *van Suieten T. IV. p. 40. 41.* A spongiis, aqua frigida madidis, scroto applicatis, egregium effectum dudum vidimus in hortulano Academiae Nietzel, gravissima Hæmoptoë affecto. Efficacem Medicinam Archiater Cæsa- reus Antonius *de Haen* per sexennium feliciter se utus est. vide *Ratio Medendi T. X. p. 308.* Ne lecti calore exagitetur sanguis, culcitis ex pilis equinis, vulgo *Madrass*, potius incumbat æger, quam plumeis. Ante omnia vitet æger ea, quæ validiores pulmonum exercitationes requirunt, & quantum possibile a confabulatione se absteineat, & si id fieri debet, submissa fiat voce. Spectat huc testimonium *Celsi: securitas, quies & silentium non minima curationis pars.* Et quantum hoc consilium profuerit Comiti cuidam, Canonico Moguntino, gravissima Hæmoptysi adfecto, vide-

mus ex *Trallesi* Medici apud Vratiflavenses celeberrimi libro de *Ufu opii sect. 2. p. 25.* Primis diebus solis Cremoribus videtur æger, dein in usum adhibeat Ova forbilia & edulia, ex lacte parata, quin Vegetabilia, quæ nec nimis nutriunt, nec stomacho molesta sunt, ut Spinachia, fructus horei bene maturi, aliaque ejusmodi: demum, sed serius ad carnes, easque albas venire licet. *Nocent* vero omnes cibi aromatici, acres, saliti, piperati & coctu difficiles, potus spirituosi, ut Vinum, præcipue recens, acidum & generosum, Spiritus vini, Cerevisia valde saturata, & recens, & quæcunque alia in primis regionibus perturbationem concitant, aut ordinarias evacuationes pervertunt. Morbo huic obnoxii, a venere graviter malum augent, & vires corporis animique perquam destruunt. Notabile exemplum legitur apud *Platerum lib. 3. Obs. pag. 738.* de muliere quadam, quæ quoties cum viro concubitum celebravit, toties quoque Hæmoptysin patiebatur. A sternutatione, risu immoderato, clamore, ægri absistant, ne fortiter commotis pulmonibus, illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescant. Pervigilia irreparabili damno vires enervant, vere enim Poëta: *Attenuant juvenum vigilia corpora.* Excretiones naturales quotidie respondere debent. Animi pathemata vehementiora, utpote: Ira, Terror, Metus, Tristitia, Invidia, desideratus Amor, & quæ sunt alia, cane pejus & angue fugienda sunt, maximum enim detrimentum & gravia Symptomata præsertim in sensibilibus subjectis adferunt. Aër temperatus & serenus sanitatem promovet. contra vero calidus & ficcus paroxysmos excitat, at tempestas turbida, squalida, nebulosa, crasse humida (quæ tamen frigus & calorem non subito mutat) sanitati amica est.

§. XI.

Qui Hæmoptysin semel est passus, merito reditum ejus metuere debet, qui, quantum in arte est, impediatur, venam itaque in pede aperire curet æger bis vel quater in anno, immo crebrius, si redeunt signa, Hæmoptysin denuntiare solita. Victus sit ex blandissimis, ne acrimonia quadam inquinetur sanguis. Potus itidem blandus esse debet, exsuletque omnis calefaciens. Ante vero omnia vitet æger, quæ validiora pulmonum exercitia poscunt, vel faciunt, ut majori vi sanguis ad pulmones feratur, ut valentiora corporis exercitia.

Et hæc ratione æger sua se in valetudine immunem a præcipiti nimis periculo per longum tempus tueri potest.

